

~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

invol. 2/- 15)

EL 236

(3) = HF

3

Historia  
SEPTEM FRAT-  
TRVM, VNA CVM MATRE  
TRUCIDATORVM AB ANTIO-  
CHO EPIPHANE.

Reddita carmine Heroico

A

*Paulo Auleandro Nisseno.*

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA  
IMPRIMEBAT

Anno

---

M. D. LXX.

Paul Alexander

Historia

SEPTEMBER

TRAM. VNA CVM MATRE

TRACIDATORVM AB ANTIQ.

CHS EPITAPHI

Rechtliche Geschichte

Paul Alexander

1811

JOHANNES RICHARD

LEIPZIG

1811

1811



ORNATISSIMIS  
VIRIS, SAPIENTIA  
ET VIRTUTE PRÆSTAN-  
TISSIMIS, REIPUBLICÆ NISSENÆ  
Consuli, & Senatoribus, Dominis  
suis colendissimis,  
S. D.

**R**EX fuit olim  
Dirus in omnes,  
Qui pia Mosis  
Iura colebant,  
Æquore vasto,  
Lucis in auras  
Editus, atra  
Tygride natus,  
Sæuijt ira,  
Ceu scopuloso  
Belua ponto,  
Hos tulit ense,  
Ignibus illos.  
Vnius olim  
Pignora matris  
Ignibus vna  
Luce peremit,  
Atq; cuento

A 2

Postea



Posteà matrem  
Funere mersit,  
Fortia cum non  
Flectere posset  
Pectora pœnis.  
Funera quorum,  
Atq; sacrati  
Pectora ducta  
Flaminis aura,  
Et scelerati  
Fata Tyranni  
Carminè canto,  
Quod tibi claro  
Carmen Elistro,  
Turba Senatus,  
Tempus in omne  
Laude colenda,  
Mitto precorq;  
Suscipe vultu,  
Vilia quamuis  
Dona sereno,  
Et tege pressas  
Rebus iniquis  
Quæso Camœnas,  
Quæ tibi spondent  
Viribus auctis,  
Laude

*Laude vicissim  
Nomen ad alti  
Culmina celi  
Se esse laturas,  
Nuncq; precantur  
Numina celi,  
Vt tua sancto  
Tectora flatu  
Vsq; gubernent,  
Atq; tenebras  
Nocte fugata,  
Quasq; repellant  
Lumine verbi,  
Inq; periclis  
Robora praestent,  
Postq; suprema  
Funera, celo  
Pace potiri  
Mitia faxint.*

*Sapientiae vestrae*

*addictissimus*

*PAVLVS Auleander  
Nissenus.*

**I**Ngentes animos, inuictaq; pectora septem  
Fratrum, quos claro prognatos sanguine Ebræo,  
Edoctos legesq; sacras, dum floruit ætas  
Prima, per horrendas leti, vesana Tyranni  
Ira, vias duxit, cæco merisitq; barathro,  
Necquicquam patrijsq; ferus tentauit ab aris,  
Gentis ad Argiux impuros traducere cultus,  
Consortemq; necis matrem, similiq; paterna  
Pro lege atq; sacris, subeuntem prælia Marte,  
Nec non horrendi tristissima funera Regis  
Musa canet: cœptis felix allabere nostris  
Magne Deus, studiumq; iuua, Musamq; morantem  
Impellas alacri misso sub corda vigore.  
Rex fuit Antiochus Syriæ ditissimus olim,  
Proluuijs scelerum, crimencq; caputq; malorum,  
Dedecus imperij, quo non immanius vnquam  
Antè fuit monstrum, rigido sub pectore duri  
Semina erant ferri, humanæ non pectora matris  
Suxerat: ast dirum imbiberat lac tygridis ore,  
Celitus & populo Ebræo data iura retractans  
Iniustas fixit leges, ritusq; profanos  
Pro veris coluit, vesana & percitus ira,  
Isacidæ gentis legem spernentis iniquam  
Quam tulerat, fuso conspersit sanguine terram.  
Audierat septem ingenua de matre creatos  
In populo fratres, summi præcepta Tonantis  
Amramidæ suscepta manu, legesq; paternas  
Seruare intrepidus, & regia spernere iussa,  
Præcipit ad solium duci, primùmq; sereno  
Aspiciens vultu, verbis affatur amicis,  
Depositoq; metu lætos assumere vultus  
Intrepidus iubet, & certam sperare salutem,  
Largaq;



Largaq; magnanimæ promittit præmia matri,  
Et natis auri proponit munera & Ostri.  
Nil promissa valent, blandæ nec flumina linguæ  
Immutare queunt succensas flamine mentes,  
Concipit irarum flammæ in corde Tyrannus,  
Horrendumq; tuens, vultum mutatus & ora,  
Sic cordi affixas sperans diuellere leges,  
Supplicium insolitum retulit, centumq; figuras  
Obiecit mortis, patrum nisi lege relicta,  
Mox suis immundæ caperent in viscera carnem.  
Hunc natu contra sic maximus excipit ore:  
Non opus est multis quæras scelerate Tyranne,  
Non opus est, nostræ quænam sententia menti  
Insideat quæras, potius moriemur, & omnes  
Ibimus in pœnas, quàm summi iura parentis  
Rumpamus, Stygias & post mittamur in vndas.  
His accensa super sæui mox ira Tyranni,  
Ad flammæ poni patulum mandauit ahenum,  
Iussit & innocui iuuenis de gutture linguam  
Demere mordacem truculentos ora ministros,  
Et nitidi celso capitis de vertice, cultro  
Imas ad plantas teneram diuellere pellem,  
Aes & in accensum, laceratum ponere corpus,  
Intimaq; adiectis torreri viscera prunis.  
Et cum iam patulum sæuus Vulcanus ahenum  
Vndiq; circumstans fricaret corpora flammis,  
Conspicerentq; alij mortem per viscera fratris  
Iam labi, & membra esse graui deuicta calore,  
Sese inter verbis consolabantur amicis  
Cum genitrice sua, posita ut formidine mentem  
Conciperent, namque ista Deum qui cuncta creasset,  
Et regeret magnam absq; omni fulcimine terram,  
Obser

Obseruare oculis, & iusta lance superbi  
Esse repensurum quondam tormenta Tyranni.  
Mox sistunt alium, cuius de corpore pelle,  
Atq; coma capitis, ferro candente reuulsa  
Inquirunt, partes num malit sumere carnis  
Setigeri porci: vel post tormenta grauesq;  
Pœnas, ipse lubens instanti occumbere fato.  
Ast iuuenis mortis miro percussus amore,  
Innocuus, dixit, moriar, patiarq; lubenter  
Omne nefas potius, quam summi numinis iram  
In me conuertam, violata lege parentum,  
Vix ea fatus erat, rapit hunc trunculentus & audax  
Licitor, & extemplò sæuis cruciatibus vrget,  
Et mutilat, rapidis & dat mox ignibus artus.  
Hic fugientem animam iam expiraturus in auras,  
Hostis atrox, inquit, diuis infense supernis,  
Me spoliâs equidem iucundo scœnore lucis,  
Cum verò sonitum dederit fera buccina celo,  
Et concussa graui tremefiet fulmine terra,  
Atq; Dei solio sistetur iudicis, omnis  
Turba hominum, tenues tunc nos rapiemur in auras,  
Et Deus omnipotens, rerum cui summa potestas,  
In Paradisiacos hortos nos sistet ouantes,  
In quibus æternum felici pace fruemur:  
Te verò scelerum caput omnipotentis Olympi  
Rector, in infernas detrudet sulphuris vndas,  
Ignibus appositus calidis torrebere flammis,  
Perfidiaq; dabis pœnas, diriq; furoris.  
Sic ait, æthereas anima & migravit in oras.  
Tertius hunc sequitur iuuenis, fortissimus heros,  
Magnanimus Martyr (vires cui suggerit ipse  
Omnipotens Deus, & diuino robore firmat  
Spiritus

Spiritus) expanso promptus linguam exerit ore,  
Cum manibusq; pedes extendit, & æthera lætus  
Aspiciat, sacrisq; resoluens vocibus ora,  
His me, ait, ornauit summi moderator Olympi  
Membris, nec mentem nunc tam temerarius error  
Occupat, vt violem diuini fœdera iuris,  
Quò seruem incolumes mortalis corporis artus,  
Quos Deus omnipotens, dederint cum cornua celo  
Clangorem, tumulis putridis educet ad alta  
Sidera: utq; astantum vox hæc peruenit ad aures,  
Obstupuere omnes, gelidusq; per ima cucurrit  
Ossa tremor, quòd tanto animo, tormenta minasq;  
Læticia exultans iuuenis contemneret, ipsa  
Nec formidaret properantis funera mortis.  
Ordine quartus ait pœnis affectus iisdem:  
Maxima spes superest nobis hinc morte peremtis,  
Quòd superum Dominus rerum cui summa potestas,  
Iudicio extremo, indutos nos carne priori  
Educet tumulis putridis, & ad alta locabit  
Sidera, perpetuaq; dabit nos pace potiri,  
Hæc tibi non remanet spes, nec tibi gaudia tanta,  
Post tristes obitus restant scelerate Tyranne.  
Nam te Rex superum, incauto cum venerit olim  
Summa dies mundo, tristem detrudet in Orcum,  
Imponetq; igni, quem deficientia nunquam  
Sulphura depascent. hæc te sors dura sequetur.  
Martyris hinc quinti nodosis membra cathenis  
Subiicit, & teneros iubet ingeminare per artus  
Verbera, frixariq; fera sartagine corpus,  
Qui aspiciens Regis confixo lumine vultum,  
Rex, ait, humano cum sis de sanguine cretus,  
Mox tua funereo refecabunt stamina fato

B

Terrifi



Terrificæ Parcæ, posito ut diademate, putri  
Condaris tumulo virulentis anguibus esca,  
Sed tibi cum grauium sit magna potentia rerum  
A superis concessa, furis ceu belua ponto,  
Indomitum caput usque ad splendida sidera tentas  
Tollere, & effuso conspargis sanguine terram,  
Ne verò tumidam fallat sententia mentem,  
Vt nos esse putes desertos. Nam breue restat  
Tempus, quo scelerum toto cum stemmate pœnas  
Persolues, poteris nec inexorabile fatum  
Flectere sollicitis precibus, sed morte cruenta  
Consumtus, tristes tandem truderis ad vmbas.  
E Dixerat hæc. Sexus sæua sartagine frixus  
Ante suos obitus prior hæc tunc edidit ore:  
N Non me sic falles, inquit, trux Ierema malorum.  
Nam sumus meriti præsentis crimine pœnas.  
Non hæc eueniunt magno sine numine Diuum,  
Quis sine nec minimum posses diuellere crinem,  
Sed non vltices furias, non vltima fata,  
Non Orci effugies tristes post funera pœnas.  
Atq; animos superans genitrix Macchabæa viriles,  
In flammis positos corde hortabatur & ore,  
Temnere crudelis nimium felicia Regis  
Tormina, læticiæ post commutanda perenni.  
Audit ut Antiochus matrem se illudere credens,  
Vltimam adhuc sobolem verbis affatur amicis,  
Per terram iurans, per celsi sceptraq; regni,  
Se illum euecturum magna ad moderamina rerum  
Si modò fatidico Mosi contrarius, ore  
Exceptas carnes porci, in sua viscera mittat,  
Et nunc ille quidem spe multum illusus inani,  
Grande dolet, frustra ingentes cecidisse labores,  
Et ta

Et tamen insignem formam miseratus & annos,  
Sedulus hortatur matrem, precibusq; fatigat,  
Suadeat ut nato rigidam deponere mentem,  
Immundæq; suis ieiunia soluere carne,  
Ne cadat ante diem, misero & se funere mergat,  
Annuît his genitrix, aliud sed mente volutat,  
Accedit natum & summi præcepta tonantis  
Edocet, & quamam verset sententia mentem:  
Cara inquit soboles hoc quam sub pectore gessi,  
Et cum Luna nouem cursu confecerat orbis,  
Tandem enixa parens, varios perpessa labores,  
Lucis in has auras, tepidicq; ope lactis alebam,  
Aspice formoso depictum sidere celum,  
Contemplare oculis pulcrum mundiç theatrum,  
Aspice volucres volitantes aëre pennis,  
Et varij generis nantes in gurgite pisces,  
Hæc Deus omnipotens nullo sine pondere rerum,  
In nostros vsus, verbo dicente creauit.  
Sî bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam  
Dulce meum, matris miserere, & sæua Tyranni  
Termina contemnas posita formidine mentis,  
Vt Deus omnipotens, indutum carne priori,  
Quatuor à Ventis hic cum clangore tubarum,  
Defunctas animas, vitales rursus in auras  
Eliciet, claraq; pios tunc luce potiri  
Efficiet, reprobos tenebris inuoluet & igni,  
Te fratresq; tuos, quos tristia fata tulere,  
Saluos restituat, celicq; in limine sistat,  
Dixerat hæc: iuuenis firmatus voce parentis,  
Insidijs obstat, prorsusq; immobilis hærens,  
Quid dubitas, inquit, quas sæuo pectore fraudes  
Voluis, dira lues, mene his desistere cœptis

B 2

Velle

Velle putas? summi legem violare parentis?  
Tunc minis te posse meos euertere sensus,  
Propositisue animum constantem flectere donis  
Sperasti demens? si hæc, versat opinio mentem,  
Falleris immensum, & vanis tua pectora spebus  
Delectas. nullo Regum nam munere vincor,  
Atq; hoc immoto stat pectore, quicquid acerbi est  
Velle pati, & morti caput obiectare minaci,  
Quam superum tanto offendam nunc crimine numen,  
Vos animam hanc potius quouis absumite leto,  
Assequar ut fratres habitantes culmina celi:  
At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis  
Dij soluent grates dignas, & præmia reddent.  
Nos his subijcitur pœnis, quia crimine nostro,  
Aeterni meritas Patris irritauimus iras,  
Mox tamen omnipotens sortem miseratus acerbam  
Gentis Iudææ, patrijs auertet ab aris  
Tam rapidos hostes, iustam moderabit & iram,  
Sed tu dira lues, crimencq; caputq; malorum,  
Ne tantos capias tumido sub pectore fastus,  
Quod si ad tantos rerum promotus honores,  
Nec gentem Isacidam ferro radicitus omnem,  
Aut diris te posse putes extinguere flammis.  
Nunc cari fratres quæ hinc fortuna peracta est  
Dura nimis, clara diuini numinis aura  
Implentur, celoq; beata pace fruuntur.  
Tu vero tandem pœnis affectus acerbis  
Ob nimios fastus, cogeris ipse fateri,  
Hunc verum esse Deum, celo terraq; potentem,  
Quem contra capis arma furens, quem Marte lacesis,  
Cuius cultores rapido nunc ense trucidas  
Insolito antiquis more, & das corpora flammis.

Hæc

Hæc memorans iuuenis sopitos suscitât ignes.  
Rex igitur magnos voluens sub pectore fluctus  
Irarum, cùm se contemptum cernit ab istis,  
Inuertens oculorum orbes, & lumina torquens  
Transuersum, seruos maiores sumere pœnas  
De iuvene indomito iubet, inq; calentiâ mitti  
Aera, statim exequitur dirus fera iussa minister,  
Et posito ardentès prunas submittit ahenò,  
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento  
Voluitur, exuperant flammæ, furit æstus ad auras, |  
Vtq; chalybs fluidus picea fornace liquefcit,  
Artus soluuntur, tenues it vita sub vmbra.  
Ventum ad magnanimã matrem, quæ carmine digna  
Tempus in æternum sacris celebranda Poetis. (est,  
Tristia nam septem conspexit funera natum,  
Quos è conspectu infelix lux abstulit vna,  
Nec tamen euertit fati vis aspera mentem,  
Nec minimam speciem concepti mente doloris,  
Ob tristes obitus natorum prætulit ore,  
Insuper horrendis pœnis sese obtulit vltro,  
Et casus perpessa graues, concessit ad imos  
Manet, nunc cupidis natos amplectitur vlnis.  
At non hæc nullis hominum sator atq; Deorum ]  
Obseruans oculis, vindictam mente volutat,  
Nam mox Antiochus fati ingressus iniquis  
Persepolin, clarî conatur limina templi,  
In tenues cineres rutilis conuertere flammis,  
Et sub triste iugum deuictos cogere ciues.  
At Deus omnipotens diris conatibus obstat,  
Sufficit ipse suis vires, & robora præstat,  
Et calidis stimulis horrenda ad prælia dextras  
Excitat, inq; fugam Antiochum conuertit inertem,

Audit & interea quod iniquo Marte Nicanor  
Pugnasset, grauibus spolijs exutus & armis  
Terga fugæ dederat, clademq; tulisset acerbam  
Timotheus Princeps, subito fugit omnis ad ima  
Sanguis, & immenso succendit corda furore,  
Et calidis stimulis horrendas excitat iras,  
Iudicium obscurat densis mentemq; tenebris,  
Læticia ut pectus multum tumefactus inani,  
Iam certum sese victorem pectore iactet,  
Illatam & se posse putet conuertere cladem  
In genus Isacidum, aurigasq; in puluere currus  
Vertere, & vrgere æratis calcaribus instat  
Quadrupedes celeres, fati vrgentibus illum.  
Namq; minatus erat Solymes se mœnia plano  
Aequa solo positurum esse excidioq; daturum,  
Templaq; per totum quondam celeberrima mundum  
Versurum in tenues, hostili strage fauillas,  
Et claram Solymorum urbem cum mœnibus altis,  
Facturum populi bustum commue perenti.  
Sed Deus omnipotens, rerum cui summa potestas,  
Qui mundum ingentem diuino numine complet,  
Et nouit mentis latebras cœcosq; recessus,  
Antiochi Regis conatus ridet inanes,  
Corripit & sæuis morbis, atq; intima torquet  
Viscera puncturis, inq; omnia membra dolores  
Immittit sæuos, ceu vis deuicta labore  
Ingenti fuerit, celo vel fulmine tacta.  
Nec tamen immanes tormenta inflectere sensus  
Possunt, nec rigidam cruciatus vertere mentem;  
Sed magis extollit tumefacta superbia Regem,  
Atq; in Iudæos maiores concipit iras,  
Accelerare iubet, currusq; agitare citatos

Præci





Præcipit aurigis, subito ut dum pectora feruent,  
Sæuiat Ifacidum in populum, tum Marte cruento  
Opprimat, & cladem sic vlciscatur acerbam.  
Haud mora quadrupedes ingenti robore currum  
Præcipiti rapiunt cursu, milesq; tumultu  
Terribili fertur, glomerato puluere campus  
Miscetur: sæuus curruq; volante Tyrannus  
Fertur in immensum specus, & colliditur artus.  
Mox augmenta capit morbus, sæuosq; dolores  
Excitat in toto truculenti corpore Regis,  
Nunc modò qui fastu fuerat sibi visus inani,  
Se posse ingentes nutu compescere fluctus  
Acquoris, & magnos suspendere in aëre montes,  
Nunc humili sellæ affixus ceu immobile saxum  
Fertur, & in toto generantur corpore vermes,  
Corpus & exsuccum depasto rore relinquunt,  
Et qui se excelso credebat vertice celum  
Tangere posse suo, fastu repletus inani,  
Nunc vomit exeso tetros de gutture fumos,  
Astantesq; sibi foedo contristat odore,  
Vt naribus captas mox efflent faucibus auras,  
Vlterius putridum nec velint ferre Tyrannum,  
Nil magis imperium valuit, nec regia iussa  
Pondus habent, quin & lacrymæ temnuntur, & alto  
Necquicquam ducit mœsto suspiria corde.  
Hinc sibi deliuit pectus, ceu Solis ab igne  
Mollefcit glacies, mox fastus ponit & iras,  
Exuit hostilesq; animos, mentemq; benignam  
Accipit in genus Ifacidum, diuumq; parentem  
Talibus infelix, tollens ad sidera palmas  
Vocibus affatur: Sortem miserere precantis  
O Deus omnipotens, Diuumq; æterna potestas  
Me nunc

Me nunc pestifero confectum respice morbo,  
Atque intestino releues mea membra dolore,  
Depellasque precor rodentes viscera vermes,  
Dimittam Solymas, iura & mox libera reddam,  
Isacidisque sacro natam de sanguine gentem,  
Aequalem reddam populo qui viuit Athenis,  
Inclitaque ornabo praediuite munere templa,  
Splendida magnificis cumulabo altaria vasis,  
Et quaecumque usus sacri ritusque requirunt,  
Promptus & ex animo praestabo diuite sumtu,  
Insuper Ebraeas leges amplectar, utroque  
Laude celebrabo nomen sub climate caeli:  
Talia monstri promissaque vota Regis,  
Aeolus aethereas subito dispergit in auras,  
Nec sinit ad sedem summi volitare parentis,  
Praescius ut iuuenis Regi praedixerat ante  
Sic tandem Antiochus, quo non immanius vllum  
Ante fuit monstrum, noua qui tormenta crucesque  
Finxerat horrendas, diuino saucius ictu,  
Atque nouis poenis exhaustus corpore toto,  
Stridentes inter gemitus, moestosque vlulatus,  
Montibus in rigidis lucis deseruit auras,  
In Stygias merfusque lacus & triste barathrum,

FINIS.








Farbkarte #13

B.I.G.



3

istoria

M FRA

CVM MATRE  
RVM AB ANTIO-  
PIPHANE.

ermine Heroico

A

andro Nissenno.

PSIÆ

ES RHAMBA

IMEBAT

anno

D. LXX.

